



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 39. Diomedis Caraffæ Cardinalis fata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

Julius III. & Pius IV. eligebantur: tandem vero hoc anno millesimo quingentesimo sexagesimo die quarta Februarii sexagenarius obiit, cujus corpus ad Ecclesiam S. Mariæ de Ara Cæli depositum tandem ad oppidum de la Peubla montis Albani in Hispania translatum apud Religiosas Ordinis S. Claræ virgines, pro quibus Joannes Paccetus ejus frater Monasterium condiderat, terræ mandatum fuit.

## §. XXXIX.

*Diomedis Caraffæ Cardinalis fata.*

*Aubery &  
Ciacon. l. c.  
p. 848.  
Castald. in  
Paul. IV.*

Tertius erat Diomedes Caraffa patria Neapolitanus, ac Joannis Francisci Arianensis Ducis filius, & sanguine junctus Paulo IV. Pontifici, a quo Arianensis Episcopus creatus Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto Mense Decembri Cardinalis tit. S. S. Sylvestri, & Martini in Montibus renuntiatus est. Tanta is inclarescebat animi moderatione, ut nullis omnino turbidis negotiis sese ingerere vellet, unde ab omnibus in tanto honore, ac veneratione erat, ut Romani, cum post Pauli IV. obitum Caraffensium bona diriperent, imo nequidem illorum sepulcris parcerent, monumentum tamen, quod Diomedes ipsemet sibi in Ecclesia S. Martini



tini in Montibus erigi curaverat, omnino venerati sint. Obiit Romæ die duodecima Augusti Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo, ætatis vero suæ sexagesimo nono, sepultusque est in præfato tumulo apud S. Martinum. Is vix Arianensis Episcopatus possessionem acceperat, cum illico anteriorem suæ Ecclesiæ Cathedralis partem restaurari curaret, eamque sacro ritu Divino cultui dedicaret: pariter etiam Episcopale Palatium, necnon Abbatialem Ecclesiam ad S. Agnetem ruinæ proximam pristino suo decori restituit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

§. XL.

*Cardinalis Bertrandus mortuus.*

Quarto loco venit Joannes Bertrandus natione Gallus, Tolosæ natus, ubi ejus Pater nomine Bernardus Bertrandus de Villeles Tolosani Senatus Procuratorem agebat, postea vero Joannes ejus filius primus ejusdem Senatus Præses in hac dignitate tantam sibi laudem comparabat, ut meritorum fama ad Annam Montmorentium Connestabilem delata ad istius preces Parisios a Francisco I. vocaretur, ibidem primi pariter Præsidis honore auctus, ac demum Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo primo Regii sigilli custos nominatus.

Ciaccon.  
p. 857.  
Aubery l. c.  
Frizon in  
Gall. purp.

Hist. Eccles. Tom. XLIII. Qq mina-